



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

De Sacramentis In Genere Ac De Sacramentalibus Nec Non De Sacramentis Baptismi, Confirmationis, atque Extremæ Unctionis Decisiones

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio XLVII. Argumentum. Declarantur aliæ plures species Monstrorum in Summario nominatorum. Quæritur an Diabolus possit mutare homines in bestias, & quot, ac quibus modis? Dissertitur de ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94638)

Goliathi Gethæi Palestini, quem occidit David. 1. Reg. 17. 4. Quare relictis fabulis de Atlante, de Bryareo, de Polyphemo, de Orione, & similibus, dari Gigantes testantur Pompon. Mela lib. 3. de Situ Orbis cap. de India. Solinus in Polyb. cap. 5. Plinius lib. 7. cap. 16. S. Augustinus de Civit. Dei cap. 9. ubi Ludovicus Vives affirmat vidisse dentem molarem S. Christophori in ejus Templo, pugno majorem. Plurima autem exempla hominum giganteæ stature horum temporum, præcipue in Indiis Orientalibus, & Occidentalibus refert ex fidissimis testibus P. Schottus in sua Physica Curiosa d. lib. 3. cap. 8. ubi §. 6. subdit, caulam, cur Gigantes nascantur, proscriptis tabulis, & commentis Judaicis, esse semen utriusque genitoris copiosum, crassum, calidissimum, spiritibus affluens, & seri expert. Alia pariter exempla non injucunda recitat Antonius Masinus Bononiensis in Schola Christiani cap. 35. de reperiis gigantum cadaveribus, & ossibus; quorum unum Cranium capiebat modium tritici. Hos igitur esse baptizandos, quatenus fidem amplectantur Christianam, nemo inficiabitur.

DUBIUM VIII.

An dentur homines Androgyni, & Hermaphroditi.

Androgyni sunt Mari-fœminæ, participantes utrumque sexum, sic dicti ab ἀνδρ, quod virum, & γυνή, quod mulierem significat. Hermaphroditæ verò dicuntur à Mercurio, quem Græci vocant Ἑρμῆς, & à Venere, quam iidem ἀφροδίτη dicunt; quoniam Venerem à Mercurio compressam autumant, talem prolem genuisse, quæ sexum utrumque participat. De horum existentia ita scribit Aristoteles lib. 4. de Generat. Anim. cap. 4. Nonnulla etiam duplici genitali, altero maris, altero fœminæ nascuntur. Plinius lib. 7. cap. 2. & 3. & Nierimberg. Hist. Nat. lib. 8. cap. 6. notat, plures Hermaphroditos in Virginia Americæ Provincia nasci; & Schottus in cit. lib. 3. cap. 10. recentissimis Historiographorum, & Medicorum testimoniis, subdit, unum fuisse Hermaphroditum, qui tanquam fœmina nupsit Viro, ex quo filios, filiasque peperit, & nihilominus ancillas comprimebat, & ex iis generabat: quem commemorat etiam Licetus de Monstris lib. 2. cap. 53. ubi narrat anno 1561. in Scotia fuisse Androgynam, quæ hæcili filia uterum implevit. Similem fœminam ego comperi in Visitationibus hujus Diocesis Patavinæ, cujus maritus attestabatur mihi, eandem ultra vas fœmineum, habere etiam virile membrum, quo ipsa alias fœminas comprimebat, de qua etiam mentionem feci in meis Decisionibus de Penitentia Decis. 43. num. 6. Causam hujus monstruositatis nonnulli referunt in influxum syderum, dicentes tunc præcipue Androgynos formari in utero materno, quando fit conceptus tempore conjunctionis Mercurii, & Veneris in signis bicornibus, cujusmodi sunt Gemini, Virgo, Sagittarius, & Pisces. Sed verius est Hermaphroditarum causam provenire ab ubertate materiæ feminæ in utroque genitore; qua effusa facultas formatrix æqualibus viribus in utramque materiam incumbit, & sic in uno, eodemque fœtu utrumque sexum imprimit. Ita Majol. Colloq. 3. ex Alberto Magno lib. 18. de Animal. tract. 2. cap. 3. Quando autem Hermaphroditæ possint

Doct. Clericali Tom. 1. Liber 1.

contrahere Matrimonium vel Sacros Ordines sumere, non est hic locus decidendi; videantur Doctores in 1. Quaritur. ff. de stat. homin. Moralistæ de Sacram. Ordin. & Matrim. & ex Theologis Maftrius in 4. sentent. disp. 7. num. 427. & Eminentiss. Cardin. de Lauræa de Ordin. disp. 9. num. 13. nec non prædicta mea Decis. 43. de Penitentia, in qua copiosè tractavi hanc materiam de Hermaphroditis, declarando varia genera eorumdem, & signa à Medicis tradita ad cognoscendum, an prævaleat sexus masculinus, vel fœmininus ad effectum tum succedendi in fidei-commis, tum recipiendi Ordines Ecclesiasticos, vel contrahendi Matrimonium. Satis enim est hic docere, non esse difficultatem circa Baptismi collationem sive baptizetur tanquam mas, sive tanquam fœmina: imò si sexus cognosci non possit, potest imponi nomen sive masculinum, sive fœmininum ad arbitrium baptizantis, eò quia (ut diximus suprâ in Decis. 44. num. 11.) sunt rationes, & Doctores pro utraque opinione; apud Gobat de Baptism. tract. 2. num. 338. & 339. nec non num. 429. ubi advertit ex Soto in 4. sent. dist. 1. q. 5. art. 8. Vers. Postremum denique; cuidam fœminæ in proventa ætate prominuisse foras sexum masculinum; & plurimas consimiles mutationes de fœminis in mares narrant Tiraquell. de Leg. Conub. l. 1. num. 100. & 101. Delcius Disquis. Magic. lib. 2. q. 22. docentes è contra non reperiri apud aliquem, quod vir mutatus fuerit in fœminam, quia natura tendit ad id, quod est perfectum. Et si Licetus de Monstris d. lib. 2. cap. 54. relatis pluribus exemplis puellarum, quæ sexum masculinum sunt postea asscuctæ, subjungat etiam masculos fœmineam naturam induere posse, ex testimonio Ausonii Epigram. 68. cui tamen obstat illud vulgare: Pistoribus, atque Poetis fuit semper fingendi potestas. Porro si daretur casus, quod Monialis professa mutaretur in virum, ipsa egredi deberet Monasterio; & ducere posset uxorem, quia vota facta de castitate servanda tanquam fœmina, non sunt extendenda ad statum masculinitatis, nisi renoventur, ut dixi in d. Decis. 43. de Penitentia, & scribit Diana part. 5. tract. 14. resol. 49. Quæ sedet in Coord. tom. 7. tract. 1. resol. 341. ubi allegat Texedam, & Torreblan. pro se contra Portellum. Et Pignatellus tom. 4. cons. 34. ubi ait, nostra ætate Affili hunc casum evenisse; & probat, professionem fuisse ab initio invalidam, quia Monialis ab initio erat vir, quamvis non constaret de sexu virili, tanquam abscondito, & in natura sub membranis retento; qui postea vi caloris naturalis foras erupit, quando facta est mutatio sexus; & de hac penis eruptione agit copiosè idem Licetus d. lib. 2. cap. 54. & ex Doctrinis Medicorum prædicta mea Decis. 43. de Penitentia, non absque magno studio extensa.

DECISIO XLVII.

ARGUMENTUM.

Declarantur aliæ plures species Monstrorum in Summario nominatorum. Quaritur an Diabolus possit mutare homines in bestias, & quot, ac quibus modis. Disseritur de Nabuchodonosore transmutato in bestiam. Referuntur partus numerosi variarum Mulierum.

K 2

SUM-

SUMMARIUM.

- 1 Caudati homines qui sint?
- 2 Auriti qui sint?
- 3 Astomi, Brachistomi, & elingues qui sint?
- 4 Monoculi qui?
- 5 Acephali qui?
- 6 Polycephali qui? & quomodo prædicti omnes sint baptizandi?
- 7 Homines mutati in belluas an dentur?
- 8 Diabolus quot, & quibus modis mutet homines in bestias?
- 9 Nabuchodonosor quomodo mutatus in bestiam?
- 10 Partus numerosi mulierum an dentur? Exemplum eorumdem.

PRæter supra relata genera Monstrorum, remanent adhuc alia multa, quæ explicatione egent ad complementum hujus narrationis. Ideo Quæritur

DUBIUM IX.

An dentur homines Caudati, Auriti, Astomi, Brachistomi, Elingues, Monoculi, Acephali, Polycephali?

CAUDATI homines sunt illi, qui nascuntur cum cauda ad instar canum, vel equorum, de quibus Plinius lib. 7. cap. 2. prop. finem; & Nierimberg, lib. 1. de Miracul. Europ. cap. ult. Schottus in sua Physica Curiosa d. lib. 3. cap. 11. §. 1. ubi hac, ait, pœna punitos Anglos, qui caudas piscium projecerunt in faciem S. Augustini Apostoli illius Regni. Et lib. 5. cap. 29. §. 2. ex Polydor. Virgil. Hist. Anglic. lib. 13. narrat quod impij homines inciderunt, contemptus causa, caudam equi, super quo S. Thomas Cantuariensis Archiepiscopus, coactus ab Henrico Rege exulare, equitabat, quare in punitionem, eorum descendentes nascebantur caudati.

2 Auriti sunt illi, qui natura reportant aures in effusam magnitudinem dilatatus, de quibus ex Plinio, Solino, Pigafetta, & Nierimbergico lib. 8. Hist. Nat. cap. 1. loquitur P. Schottus d. lib. 3. cap. 1. §. 3. referens reperiri homines, ac mulieres cum auribus sic expansis, ut in altera extensæ jaceant, altera tegantur.

3 Astomi sunt, qui carent ore. Brachistomi, qui parvum os habent. Elingues, qui vel lingua carent, vel ejus usu privati sunt. De his scribunt Meila lib. 3. Ethiopia, Plinius lib. 6. c. 30. & Solinus cap. 43. ex antiquis. Inter recentes Nierimberg, lib. 8. Hist. Nat. cap. 1. dicens, quod prædicti Astomi nutriuntur ex odore florum, fructuum, & herbarum, quas olfactui, & naribus, non stomacho condiunt. De Astomis credere hoc est difficile; non ita de cæteris; videmus enim mutos, qui gestibus, atque nutibus exprimunt ad vivum sensus suos, ut notat Schottus d. lib. 3. cap. 11. §. 3. Et ego dixi de Pœnit. Decif. 22.

4 Monoculi sunt, qui unum tantum oculum in fronte portant, de quibus Plinius lib. 7. Hist. Nat. cap. 2. Aul. Gell. lib. 9. cap. 4. & Solinus cap. 25. & 43.

5 Acephali sunt illi, qui caput non habent; quos vidisse testatur S. Augustinus serm. 33. ad Fratres in Eremita, dicens: Ecce ego jam Episcopus Hipponensis cum quibusdam servis Christi ad Ethiopiam perrexi, ut eis sanctum Christi Evangelium prædica-

rem; & vidimus ibi multos homines, ac mulieres capiti non habentes, sed oculos grossos fixos in pectore; cætera membra æqualia nobis habentes. Et paulo post: Vidimus, & in inferioribus partibus Ethiopia homines unum oculum tantum in fronte habentes. Porro Aldrovandus credit, prædictos populos non esse re vera Acephalos, seu sine capite, sed solum sine collo; ubi idque caput ita immediate connexum busto, ut os, & oculi appareant esse in pectore; quod verissimilius videtur; ita enim necessarium est homini caput, omnium sensuum interiorum, externorumque sedes, ut sine illo homo subsistere nequeat. At Licetus d. lib. 2. de Monstris cap. 30. nonnullorum Acephalorum exempla, & effigies ponit.

Polycephali è contra sunt homines bicipites, qui nascuntur cum duobus capitibus, quorum exempla plurima ex Historicis antiquis, & modernis leguntur apud Schottum in Phys. Cur. lib. 5. cap. 2. §. 1. & 2. ubi §. 3. ex Aldrovando ponit aliud Monstrum hepracephalon. id est natum cum septem capitibus, & septem brachiis anno 1587. in regione Novarensi, & consimile anno 1625. in Oppido Fori-Julii Pordenone appellato. Horum monstrorum varia, & admiranda exempla, ac figuras reperiet curiosus Lector, etiam apud eundem Fortun. Licetum de Monstris d. lib. 2. cap. 52. Causam autem horum monstrorum censent Philosophi, ac Medici esse ubertatem Materie seminalis in loco angusto immixta, ubi natura gemellos componere vult, sed elaboratis duobus capitibus, cum ob angustiam uteri non possit integra duo corpora fabricare, cessat ab opere, applicando totam materiam uni corpori, quod solet esse iusto crassius. Ita Schottus lib. 5. cap. 30. §. 2. Quod ad Baptismum attinet, dubitari potest tantummodo de Polycephalis; sed in his, ut dicemus infra, caput principale est absolute tingendum aqua lustrica; minus verò principale, sub conditione, si es alius homo rationalis, est baptizandum, ut docet Gobat de Baptism. num. 276.

DUBIUM X.

An dentur homines mutati in belluas?

OPe demonis viros, ac mulieres mutari in belluas notissimum est ex pluribus auctoribus sacris, atque profanis, à quibus infinita prope modum exempla transcribit P. Schottus in Physica Curiosa lib. 1. cap. 26. per totum; ibi videnda; & lib. 3. cap. 20. nec non Licetus ubi supra lib. 1. cap. 13. & lib. 2. cap. 73. Quod quidem triplici modo fit à diabolo. Primo occultando personam, quam vult transmutare, eamque subtrahendo ex aliorum oculis, & ejus loco seipsum, sub figura bestie ex aere compositæ, sistendo. Secundò aptissimè circumdando exuvias ferarum illis ipsis, quos sub bestiarum forma vult apparere. Tertiò effigiem belluinam ex aere componendo, & illam singulis membris hominis immutandi applicando; itaut phantastica effigies cooperiat totam personam; quam qui videt, bestiam credit videre; & hinc est, quod Strigæ in hanc formam transmutatæ, & aliquando percussæ, repertæ sunt sauciatae, & offensa in proprio corpore, juxta membrum percussum in corpore phantastico. Deltius Disquisit. Magic. lib. 3. qu. 18. ubi narrat Historiam Vetulae Strigæ sub forma felis accedentis ad cunam infantis, quam ligno percussit Cerdo pater pueri adeo bene, ut ipsa vetula necesse habuerit per

per plures dies in lecto permanere. Caterum digna scitu est apud omnes Parochos historia Nabuchodonosoris Regis Babylonis: quem conversum in bestiam testatur Scriptura Sacra in *Daniel. cap. 4. num. 30.* Quomodo igitur hæc mutatio in beluam facta fuit? Origines ausus fuit dicere, hanc fuisse parabolam exprimentem casum Luciferi; sed eum redarguit S. Hieronymus quia fuit vera historia, & verum factum in persona illius Regis. Medina *lib. 2. de fide cap. 7.* putat mutationem fuisse merè præstigatoriam, ut scilicet Rex sibi ipsi videretur esse bos: & oculis astantium, vel per illusionem sensuum, vel per compositionem, & applicationem figuræ bovis ex aere compactæ, & applicitæ corpori ipsius Regis; sed hæc repugnant verbis Scripturæ dicentis; *cor fera ipsi datum, & fenum ut bovem comedisset.* Alii volunt imaginationem Regis ita vehementem fuisse ut verè crediderit esse bovem. Ita Francisc. Valles *de Sacra Philos. cap. 8.* & Hier. Mercur. *lib. 6. Par. Lest. cap. 20.* Alii quòd privatus fuerit rationis usu, & ceciderit in dementia, per septennium, quo tempore tanquam Bos errabat per prata; vivens ex herbis, ac si verè Bos, & bestia fuisset, ut pluribus citatis discit Schottus *d. lib. 3. Physic. Cur. cap. 21.* Caterum factum Nabuchodonosoris tanquam naturæ metas excedens fuisse merum miraculum ait Licetus *d. lib. 1. de Monstris cap. 13.* At Tirinus in *cit. cap. 4. Daniel. vers. 13.* ait, quod ita fuit turbata phantasia Nabuchodonosoris, ut sibi videretur esse bestia, v. g. Ursus, vel Bison, vel alius Bos sylvestris, unde subdit: Nec tamen sola phantasia, & appetitus ejus sic turbata fuerunt; sed etiam cordis, & corporis temperamentum ita immutatum, & efferatum est, ut esset simile temperamento feræ bestię, quantum fieri potuit citra naturæ humane amissionem; unde, & facies ejus ab humana fuit nonnihil diversa, & accedens ad ferinam: cutis non mollis, sed dura, pilis vestita crassissimis, longissimis, & nigerimis ex fuligine crassissimæ Melancholiæ sensim subortis, quæ referrent horridas, & minaces cristas Aquilæ, ut dicitur *Vers. 30.* Manus, & pedes callosi unguibus quasi aquilinis armati, quibus humi quasi quadrupes incurvus, pronus, & semper nudus reptabat, nec nisi herbis, & radicibus, ut bovino appetitui sibi à Deo indito obsequeretur, victitabat, omni usu rationis, loquelæ, & vocis articulatæ destitutus, ut Bos mugiebat. Hucusque Tirinus. Quòd ad collationem Baptismi attinet, si Neophytus ex præstigio mutatus esset in bestiam, non esset baptizandus, supposita ejus aliena voluntate à fide, in qua si constans fuisset, credibile est Deum non permisisse, ut diabolus eum immutaret: quòd secus esset dicendum, & faciendum, si ex sola imaginatione, vel defectu usus rationis crederet, esse in bestiam mutatum. His addere liceat, tanquam monstruositatem sapiens, sequens

DUBIUM XI.

Andentur partus numerosi mulierum?

Binas proles à mulieribus edi unico partu, nec novum est, nec rarum. Nam & Rebecca uno partu peperit Jacobum, & Esau. *Genes. cap. 25.* & Thamar Pharem, ac Zaram. *Genes. cap. 38.* De Tergeminis natis scribit Titus Livius *Decad. 1. lib. 3. Plinius lib. 7. cap. 3. Majolus colloq. 3.*

& Aldrovandus *cap. 1. de Monstris pag. 51.* Quatuor natos uno fœtu testatur Plinius *lib. 7. cap. 3.* Solinus *cap. 2.* & Cælius Rhodiginus *lib. 4. cap. 23.* Quinque simul proles natas habemus ex Aristotele *lib. 7. Hist. Anim. cap. 4.* & Anlo Gellio *lib. 10. cap. 2.* Senos fœtus enixam fuisse nobilem Matronam dicit Patæus apud Aldrovandum *cap. 1. de Monstris.* Septem autem filios à quadam Meretrice unico partu datos notat Majolus *colloq. 3.* & Trogus apud Plinium *lib. 7. cap. 2.* Abam mulierem Germanam primo partu effudisse novem filios; secundo partu undecim; Uxorem verò Isemberti Comitis de Altdorf, quæ judicaverat impudicam mulierem, tres pueros in uno partu enixam, peperisse in pœnam, unico puerperio, filios duodecim; qui omnes educati à Patre vixerunt. Aliam matrem vigintiduos abortivos fecisse, aliam trigintafex, aliam septuaginta, aliam centum, & quinquaginta ex Alberto Magno narrat Schottus in *Phys. Cur. d. lib. 3. cap. 29. §. 1.* qui §. 2. pluribus cumulatis auctoribus, narrat Margaritam Principissam in Hollandia, rejecisse à se pauperulam duos geminos filios lactantem, & eleemosynam petentem, tanquam adulteram; cui illa ait, *Rogo Deum, ut Excellentia Vestra tot filios pariat, quot sunt dies in anno.* Hoc, anno sequenti, comprobatum est; nam ipsa Domina Margarita ætatis suæ anno 42. & anno salutis 1276. ipso die Parasceves, peperit infantes vivos promiscui sexus trecentos, sexaginta quatuor, qui omnes baptizati fuerunt à Domino Guidone Episcopo; & paulò post omnes, unâ cum Matre obierunt. Multiplices fœtus generari in Utero ex abundantia seminis procedit. Hos autem partus numerosos fuisse ex miraculo, nemo dubitabit. Quòd verò ad materiam nostram de Baptismo, hos omnes, si vivi nascuntur, esse Sacro Lavacro regenerandos nemo dubitabit.

DECISIO XLVIII.

ARGUMENTUM.

Siscitantur causæ, ex quibus gignuntur Monstra, & docetur alias esse naturales, alias supra, alias infra naturam. Historiis, & exemplis eadem declarantur.

SUMMARIUM.

- 1 Monstra ex quot, & ex quibus causis nascuntur?
- 2 Seminis humani superfluitas causa monstrorum. Item debilitas.
- 3 Conceptio fœtus in utero Materno descripta.
- 4 Semen humanum cum semine bestię gignit monstra.
- 5 Monstrorum editorum à Mulieribus exempla.
- 6 Corporis Materni nimium incommodum monstra gignit.
- 7 Imaginatio genitorum causa Monstrorum. Exempla.
- 8 Monstra an sint ad præsagium, vel punitionem malorum?
- 9 Mahometis adventus Præsagium in Thracia.
- 10 Petri de Luna Schisma prænunciatum.
- 11 Punitionis causa Monstra nascuntur. Exempla.